



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum aliquis vti possit clauibus in suum superiorem? 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

80

*Virum aliquis possit vti clauibus in suum superiorem.*

**A**D tertium sic proceditur. Videtur, quod aliquis non possit vti clauibus in suum superiorem. Actus enim quilibet sacramentalis requirit propriam materiam. Sed propria materia vsus clauium, est persona subiecta, vt dictum est\*. Ergo in eo qui non est subditus, non potest clauibus sacerdos vti.

q 17. ar.  
2. ad 2. et  
q præc. a.  
6. cor  
q præsen-  
ti, art. 1.  
corp.

¶ 2 Præterea, Ecclesia militans imitatur triumphantem. Sed in cœlesti Ecclesia inferior Angelus numquam purgat, aut illuminat, aut perficit superiorem. Ergo nec aliquis inferior sacerdos potest vti actione hierarchica, quæ est per absolutionem in superiore.

¶ 3 Præterea, Iudicium pœnitentiæ debet esse ordinatius quàm iudicium exterioris fori. Sed in inferiori foro, inferior non potest excommunicare, aut absolueret superiorem. Ergo videtur, quod nec in foro pœnitentiæ.

SED contra, Superior prælatus etiam circumdatus est infirmitate, & contingit ipsum peccare. Sed remedium contra peccatum est potestas clauium. Ergo cum ipse non possit in seipsum clauem vti, quæ non potest esse simul iudex & reus: videtur quod possit inferior in ipsum clauis potestate vti.

¶ Præterea, Absolutio quæ fit per virtutem clauium, ordinatur ad perceptionem Eucharistiæ. Sed inferior potest superiori Eucharistiam dispensare, & petat. Ergo & clauium potestate in ipsum vti, si ei subiecerit.

art. præc.  
cor.

RESPONDEO dicendum, quod potestas clauium quantum est de se, extendit se ad omnes, vt dictum est\*. Sed quod in aliquem sacerdos non potest potestate clauium vti, contingit ex hoc, quod eius potestas est ad aliquos specialiter limitata. vnde ille, qui limitauit, potest extendere in quem voluerit, & propter hoc etiam potestatem sibi dare potest in seipsum, quamuis ipse in seipsum vti clauium potestate non